



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra militia Regis Lvdovici, tutoris Lotharingiae. Cap. XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

De Sacra militia Regis LUDOVICI, tutoris
Lotharingie.

CAP. XXVI.

ARNVLPHO Imperatore defuncto, nõ-
dum potuit Carolus Simplex, etsi Rex
natus, Lotharingiam administrare: sed Ar-
nulphe Imperatori filius successit Ludoui-
cus Rex Germaniæ in tutela aut potius in re-
gno. Nam & ipse iuuenis sub tutoribus erat,
Ottone Duce Saxonie & * Hetthone Ar-
chiepiscopo Moguntino. * al. Het-
tone.

Imperio ergo Germaniæ multis modis tur-
bato, hisque Imperatore iuvene implicito,
Hungari ex Thracia per Pannonias progressi,
limites Bauariæ vastare cœperunt, quibus
Ludouicus occurrit quantis potuit copiis, &
continuo trium dierum prælio cum eis con-
gressus, tandemque victus & fugatus perdi-
dit præcipuam ac florentissimam partem no-
bilitatis Germanicæ. Hungari victores pro-
gressi longè lateque direptionibus ac cædi-
bus omnia miscuerunt, donec pacem ab illis
Ludouicus multo auro redemit, quæ res ei
caussa mortis fuit, quæ eum abstulit anno
Imperij duodecimo, in ipso ætatis flore.

Addit Sigebertus, Año 1000. XII. Ludo-
uicus Rex Germaniæ moritur, qui propter
tyrannorum in Italiis insolentiam, & mul-
tam malorum ingruentiam, non meruit be-
nedictionem Imperialem. Cui succedens
Conra-

Conradus regnavit annis septem, qui & ipse caruit benedictione Imperiali.

De militia CONRADI Regis contra Hungaros.

C A P. X X V I I.

LUDOVICO itaque defuncto, non dissimilis fuit Germaniæ status sub Conrado Rege. Ei namque se opposuerunt, accersito ex Gallia & Lotharingia Carolo Posthumo, Arnulphus Bauariæ, Gisbertus Lotharingiæ, & Burchardus Sueviæ Duces, & alij. Ne tamen hæc dissensio protinus incivile bellum erumperet, sola Hungarorum irruptione impeditum fuit, qui post mortem Ludouici aggressi Arnulphum Bauariæ Ducem, sed fortiter repulsi, pace cum eo facta, in Italiam sese conuerterunt, vbi Berengarius Rex, sauitiam eorum veritus & multitudinem, ne progredierentur prohibuit, non vi & armis, sed muneribus, magna pecunia pacem mercatus. Regressi itaque ab Italia Hungari, & denuo Germaniam adorti, primùm Saxoniam, Thuringiam, & Franciam, inde transmissi Rheno Lotharingiam & Alsatiam, Basilea euerfa, horribili grassatione percurrerunt, & Conradum ad pacem quibuscumq. conditionibus redimendam annua tributii pensione, adegerunt.

Cur